



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies Distribvtis

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1637

S. Gualterius C. 4. Iunii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44055

4. Junii. VITÆ SANCTORVM. 279
est. Vidi mulierem & concupiui; libido mihi Deus est.
Vnusquisque enim quod cupit & veneratur, hoc illi
Deus est. S. Hieron. in pf. 180.

S. GUALTERIVS C. 4. Junii.

Dubitabit aliquis GVALTERIVM mundi sidus
dicere? cum humerum stellâ insignitus in
lucem prodierit, divino munere parentibus con-
cessus, Numini Basilicam invicem spondentibus.
Gratiarum domicilium diceres, tanta erat oris ve-
nustas, tanta morum elegantia. Magnis pro eo
studiis certatum est, cælo terraque tantum decus
ad se rapientibus. Præfecti urbis filia oculos in
eum coniecerat, optabatque sponsum, spe tantò
certiore, quantò inter Romanas Nymphas emi-
nebat, & sanè, si quid mortale amandum fuerat,
tulisset primas. Jam parentum vota consenserant,
gratulabaturque pari, & pulcherrimo conjugio
Romæ cum GVALTERIVS generoso fastu condi-
tionem aspernatus, negavit feminam ullam toto
orbe dignam se marito: translatisque in cælum
desideriis, castarum mentium sponsum virginita-
ris sibi voto devinxit. Id tamen consilium paren-
tes insaniam vocarunt, & extorquere filio non
verbis tantum, sed verberibus etiam sunt conati:
ut neutris flecteretur; vox allapsa cælo fugam
adolescenti suasit, quam cum Armeno Sacerdote
in Picenum instituit; ubi deinceps eo virtutum
splendore vixit, ut palàm fecerit æquum fuisse
eum stellatum nasci. Parentes diu perquisitum
denique reperere, sed jam inediâ squalidum,
alioque, quam quem Roma suspexerat, vultu. Ille
tamen Deo plenus factum iis suum non approba-
vit tantum, sed ut imitarentur, induxit; quem
finem

finem utinam omnia parentum cum filiis certamina habeant; juvaret acies committere, & cantare classicum. *Ex Phil. Ferr.*

Despiciendus à nobis hic mundus fuerat, etiamsi blandiretur, etiamsi rebus prosperis demulceret animum. At postquam tot flagellis premitur, tantâ adversitate fatigatur, tot nobis quotidie dolores ingeminat, quid nobis aliud, quàm ne diligatur, clamat? S. Greg. 3. Dial. c. ult.

S. BONIFACIUS E. M. 5. Iunii.

BONIFACIO, & hoc, & Apostoli nomen Germania peperit, cum VVinfridus olim vocaretur. Monasticen puer amplexus est, multum adversante patre, donec, immisso divinitus morbo, pertinacia ejus est domita. Sacris initiatus Frisones Christianâ disciplinâ imbuendos, Pontificum deinde jussu, Germaniam universam excolendam suscepit; adolescentulis etiam in partem pii operis adscitis. In Boicâ S. Sturmionem, Treviris Gregorium sibi junxit XIV. annorum adolescentulum, cum Anagnosten in triclinio peritè agenti aures dedisset: capto enim egregiæ indolis experimento, unius congressûs suavitate ad sui eum imitationem attraxit, ut palàm dictitaret, suis se pedibus cum BONIFACIO orbem terrarum peragraturum, si equi copiam avari amici negassent. BONIFACII labores, & arduum LV. annorum à Sacerdotio ad martyrium usque actorum cursum quis explicet? in tantâ sæpe necessarij victûs inopiâ, ut cælo com meatum ei submitti avium ministerio fuerit necesse. Frisonibus Christo nuper additis diem dixerat, quâ sacro Chrismate frontes inungeret: ii ex discipulis latrones facti, optime de se meritum cum LI. sociis peremerunt. Irruenti